

Leben des Mönches Hugo von Tennebach.

65

Incipit uita fratris Hugonis de Tennebach.

1. Omnipotens deus, cuius nutu cuncta simul caelestia et terrena subtiliter disponuntur, quique sua sapientia celi gyrum circuit, horas diei et noctis, anni quoque tempora signis sydereis mirifice distinguendo. Ipse nimirum ecclesiam suam largiflue bonitatis consilio per etates seculi transeuntis ab exordio protoplasti usque ad nouissimum mortalem, uiris uita et doctrina gloriosis ornare dignatus est, ut eorum patrocinio et exemplo infirmus roboretur et ualidus fortior in dei laudibus efficiatur. Sed quia mundo senescente et caritate refrigescente^a a deo defecit lumen fidei, ut nullus audeat lucernam, hoc est sanctum aliquem etiam modio submoto seu corpore mortali ad electorum edificationem stilo commendante candelabro superponere. cum tamen ueritas dicat, quam imitari decet: nemo accendit lucernam et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt^b. sed quia detrahentibus inuidis, quorum oculis lux sanctitatis odiosa est, dum aliis prodesse querimus, occulta dei beneficia in lucem producendo, ipsis offensionis lapidem contra nostram uoluntatem ministramus. Sed de talibus ad nostram consolationem dominus in euangelio dicit: sinite eos, ceci sunt duces cecorum^c, et secundum sapientis dictum: excecavit eos malicia eorum^d, ut secundum prophetam uadant retrorsum, cadant et non resurgant^e. Scripturus igitur ad laudem et honorem dei conuersionem, vitam et finem cuiusdam sancti hominis, ipsum ad presens inuoco, qui dat omnibus affluenter et non inproperat^f, ut sibi gratum scriptori meritorum, legentibus quoque proficuum efficiatur.

2. Fuit igitur in diebus famosi ducis Bertholdi de Zeringen clericus quidam nomine Hugo, in etate quidem puerili adeo uiuens pueriliter, ut omnem monasticam atque uitam religiosam quasi quoddam uenenum fugiens, insuper sancte uile insectatores plurimum detestaretur. Cum ergo esset moribus leuis et instabilis,

^a Matth. 24, 12. ^b Matth. 5, 15. ^c Matth. 15, 14. ^d Sapient. 2, 21. ^e Is. 28, 13. ^f Iacob. 1, 5.

Sage steht. Sowol dem Anfänger, als dem Stumpf folgen zwei handschriftliche Chroniken in der Bibliothek zu Lausanne aus dem 16. Jahrh. in Quart, wovon auch ein Exemplar zu Bern sich befindet, das aber sonst bei Berthold V. sehr von dem Lausaner Text abweicht. Die Hs. hat den Titel: histoire ou chronologie des pays helvétiques, soit de Vaux et autres circonvoisins. Haller in der Biblioth. der Schweiz. Gesch. 4, 343 fig. führt gedruckte Ausgaben einer ähnlichen Chronik an, deren Verhältnis zu den Handschriften mir nicht bekannt ist.

Quellensammlung, IV.

eiusdem ducis capellano ad tempus modicum se coniunxit, tandem magnam eius^{*} tyrannidem non ferens, quia naturaliter uerecundus fuerat, principis curiam non sine magna iactura sue innocentie fugiendo despexit. Postea uero ueniens ad quendam suum consanguineum, qui erat sacerdos regens parrochiam in Wopplinsperg prope castrum Hähperch^{**}, cum esset in ordine subdiaconatus et eius etas excessisset uicesimum quintum annum in sua lubricitate degens, dei timore postposito, stultissime mundo seruiebat. Et o mira dei clementia! Subito facta est super eum manus domini, ut infirmaretur usque ad mortem, et, sicut de Saulo persecutore, quem dominus prostrauit in uia, factus est predicator ueritatis, sic de contempore preceptorum dei ac religiositatis mutatione dextere excelsi factus est penitens deuotus et postmodum monachus Cysterciensis probatissimus.

3. Que scripturus sum testor deum a personis fide dignis, sicut ab eius ore, didicerunt, ipso iam defuncto, licet indignis, merui plenius edoceri. Cum enim idem clericus ingrauescente morbo uiribus iam defecisset, anxius cepit attonitis oculis hinc inde prospicere, timens, ne subito suis exigentibus peccatis traderetur orco submergendus. Et quia nullum iam poterat inuenire remedium, imo quasi desolatus, cepit querere locum, magis tutum, ubi mortem amarissimam tremebundus expectaret, ecce, in domo, qua manebat, cernens presepio iumentorum, cepit mente deuotissima domini nostri Ihesu Christi humilitatem reuoluere, qualiter dignatus est, pro salute miserorum pannis inuolutus a uirgine matre presepio inclinari. Virtute igitur, qua potuit de loco, in quo forte sederat, pedetemptim ad uile peruenit presepio, ubi positus, de uita male securus, diuinam sibi clementiam, que alia a longe cognoscit et humilia respicit^{***}, affuturam humili corde preestolabatur. Nec immerito. Sancto enim Antonio ammiranti tot laqueos dyaboli per mundum ad capiendas animas arte pessima positos refertur esse responsum: sola est humilitas, que sibi uendicat euadendi libertatem. Inclinator itaque, sicut prius affectauerat presepio, statim uidit oculis apertis domum plenam tetris spiritibus, quorum aspectum effugere non poterat etiam conplossis palpebris, sed herebant tecto et parietibus conglobati, formam habentes peregrinam, que sola intuentibus posset minitare exiliale tormentum. Quid faceret, miser

* nämlich ducis. ** Als Pfarrer zu Wöplinsperg wird in einer Tennebacher Urkunde vom Jahr 1207 angeführt: Borchardus plebanus in Wupinesperch. Die Ruine Hochburg liegt in der Nähe. *** Psalm. 137, 6.